

## 2. Ἰνδὸν γρῆκῶν πρῶτον.

### *Thucydides.*

Plurimum vexatum est dictum Thucydidis I. I. c. 2. hoc: καὶ παράδειγμα τόδε τοῦ λόγου οὐκ ἐλάχιστόν ἐστι διὰ τὰς μετοικίας ἐς τὰ ἄλλα μὴ ὁμοίως ἀνέξῃναι. Difficultas in eo maxime vertitur, quod verbum ἀνέξῃναι non habet ad quod referatur subiectum. Atque antiquissima quidem est opinio, quam veteres Graeci interpretes proposuere, τὴν Ἀττικὴν ex proximis esse pro subiecto habendum, ἐς τὰ ἄλλα μὴ ὁμοίως autem significare: τῇ ἄλλῃ παρασκευῇ (πλούτῳ τε καὶ ὕπλοις) μὴ ὁμοίως ἢ πλήθει. Sed ea interpretatio quum haud magno opere intelligendum esset quantum abhorreret a Thucydidea argumentatione, quae potius

hunc habet finem, ut propter gentium perpetuas migrationes Graeciam non esse numero civium auctam demonstraretur: alia fecerunt qui post Graecos interpretes ad Thucydidem explicandum accesserunt interpretandi conamina; ex quibus novissime plerique amplexi sunt hanc sententiam, ut ad ἀξηθῆναι ex sequentibus verbis intelligendum esse censerent τὴν ἄλλην Ἑλλάδα. Ex quo quum consecrarium sit, ἐς τὰ ἄλλα iungi cum διὰ τὰς μετοικίας, ut cetera omittam quae tali rationi repugnant argumenta, vide quam perversa iam oriatur sententia: „propter migrationes *in ceteras* — scilicet *Graeciae* — *partes* non aequae auctae sunt *ceterae Graeciae partes* (ἡ ἄλλη Ἑλλάς)!” Ac construendi illa, ut hoc unum addam, horridissima durities, quae ex verbis particula γὰρ adiunctis, ἐκ γὰρ τῆς ἄλλης Ἑλλ., subiectum ad partem prius positam repeti volunt, Thucydidi non magis quam ulli alii Graece scribenti imputanda videtur esse. — Sed Thucydides, quae est eius brevitatis, non opus habuit subiectum addere ad ἀξηθῆναι, quod in ipsis verbis ἐς τὰ ἄλλα voluit contineri. Nam ἐς τὰ ἄλλα cum nec debeat cum διὰ τὰς μετοικίας iungi nec possit, quae est scholiastae opinio, significare τῇ ἄλλῃ παρασκευῇ, hac loquendi forma Thucydides pro frequentissima sua consuetudine, de qua Goellerus ad h. ipsum l. annotavit, usus est, ut significaret: „quod attinet ad cetera.” Intellexit autem *ceteras Graeciae partes praeter Atticam*. Sed posuerat, si quid video, hanc loquendi formam non eo loco, ubi nunc posita exstat, sed ante διὰ τὰς μετοικίας, et iunxerat cum verbis παράδειγμα — ἐστὶ (vel ut nunc scribendum est ἐστὶν). Quo pacto quoniam in ipso τὰ ἄλλα continetur id quod requiritur, subiectum infinitivi ἀξηθῆναι, merito sibi id concedendum putavit, ut in infinitivo omitteret eiusdem rei significationem, quam facere, si vellet, sane poterat adiecto pronomine αὐτά. Habes igitur sententiam hanc: „Καὶ παράδειγμα τὸδε τοῦ λόγου οὐκ ἐλάχιστόν ἐστιν ἐς τὰ ἄλλα, διὰ τὰς μετοικίας μὴ ὁμοίως ἀξηθῆναι „*atque quod*

*ad ceteras Graeciae partes attinet, eius quod dixi, propter migrationes non aequè illas (atque Atticam) multitudine auctas esse argumentum non levissimum hoc est."* Facile autem poterat ἐς τὰ ἄλλα traïici post μετοικίας, quippe ad quod vocabulum praepositio ἐς et constructu aptior et intellectu expeditior esse videretur.

F. G. Schoene.

---